



**Eminentissimi Ac Reverendissimi Domini, D. Joannis
Baptistæ, Cardinalis De Luca, Theatrum Veritatis Et
Justitiæ, Sive Decisivi Discursus**

Ad Veritatem Editi In Forensibus Controversiis, Canonicis & Civilibus, in
quibus in Urbe Advocatus, pro una partium scripsit, vel Consultus
respondit ; Cum Indicibus Argumentorum, Causarum ac Rerum
luculentissimis. Opus Tam Judicibus, Quam Causarum Patronis, atque
omnibus in utroque Foro ...

Tractatus Primi Pars I. de Servitutibus Prædialibus, Usufructu, & utroque
Retractu, Pars II. de Emphyteusi, Pars III. de Locatione & Conductione

**Luca, Giovanni Battista de
Coloniae Agrippinae, 1691**

Disc. LXV. Romana seu Albanen. Legati. Facto legato habitationis seu
hospitii in certa domo per hæredem legatario præstandi, An talis domus
alienari possit cum dicto onere per emptorem adimplendo, ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74102](#)

Unde propterea patri magis expedire dixi concordiam, cum ei in gravi aetate constituto non expedit expectare exitum adeo incertum trium conformium, & interim litis expensas cum filia sustinere.

Nec obstat credebam, quod testes non essent rogati, ac singulares, quia non agebatur de probando testamento vel legato, sed solum de declaranda testatoris voluntate, pro qua si sufficiunt conjectura & presumptions, multò magis sufficere debent testes de illa explicitè deponentes; Unde non videtur necessaria solemnitas rogitus, neque obstat singularitas, ubi non est obstativa, sed admiringativa, quia sufficit, ut in specie probandi voluntatem declarativam testatoris, quod sufficiant testes singularares. *Mantua, de conjectur. lib. 12. tit. 18. num. 18. Buratt. decif. 168. num. 22. & 616. num. 16. Rot. dec. 257. num. 9. part. 7. rec. Catac. hereditatis 28 May & 24. November 1649 coram Cerro 3. o. & 550. part. 10. rec. Romana bonorum seu ususfructus 19 Ianuarij 1652. Zarata decif. 211. part. 11. rec. & in aliis. Distinctio autem motivata inter probationem voluntatis importantis novam dispositionem & declarationem, ut primo casu requirantur septem, vel quinque testes rogati & contestes est vera, sed deficiebat applicatio, quia versabamur in secundo casu declarationis.*

ROMANA

SE V

ALBANEN. LEGATI

PRO

CARDINALI RAGGIO

CVM

CONFRATERNITATE CHARITATIS
SANCTI HIERONYMI
DE URBE.

*Casus resolutus per A. C. ad favorem Cardinalis,
quæ victoria postmodum ex charitate & be-
nevolentia cessit.*

Facto legato habitationis seu hospitiī in certa domo per hæredem legatario præstanti, an talis domus alienari possit cum dicto onere per emptorem adimplendo, vel potius legatarius impedit posse alienationem, ac petere sibi præstari hospitium ab ipso hærede, licet recusando illud recipere à tertio.

SUMMARIUM.

1. **F**aci series.
2. **D**omini domus, cuius habitatio, vel hospitium alteri competit, an possit illam vendere invito eo cui habitatio debetur.
3. **P**roprietarius alienare potest proprietatem, & usufruitorius non impedit.
4. **S**eu nō ubi agitur de hospitio, & de rationibus dubitationis.

5. **Q**uando ex legato habitationis infertur ad legatum ipsius rei,
6. **L**egatarius habitationis an possit domum locare, vel alios ad habitandum concedere.
7. **Q**uando importet servitum.
8. **E**t quando non importet servitum, neque jus, sed simplicem facultatem, & de differentia.
9. **Q**uando importat jus honorificum, seu clientelam & devotionem.
10. **E**nīcasu impleri non potest per substitutum.
11. **S**ervitum feudale an per feudatarium præstari possit per substitutum.

DISC. LXV.

Andreas Factorius Urbis incola, occasione plurim vinarum, quas habebat in territorio Albani, possidebat etiam in eadem Civitate domum attenta loci proportione conspicuam & oportunam, in qua confuetudinem habebat satis hilari animo hospitio recipiendi Cardinales, Prelatos, vel alios, qui tempore Veris & Autumni recreationis gratia per aliquos dies ibi commorari eligerent, inter quos frequenter hospitio recipere consueverat Cardinalem Raggium juniorum, cuius hospitium in eo consistebat, quod retentis pro tempore aliquibus mansionibus appartamenti superioris ad habitandum, ac tinetlo, aliusque officinis ad vindemiarum usum destinatis, appartamentum nobisile cum aliis inferioribus officinis ad Magnatis usum necessariis & congruis, unde cum necessaria suppelletilia assignabat, nec non ligna, vinum proxima mensa Cardinalis, ac fœnum & blades pro equis currus subministrabat.

Moriens igitur scripta hærede universali insigne Archiconfraternitate Charitatis Urbis in Ecclesia sancti Hieronymi existens, mandavit in eodem hospitio dictum Cardinalem ejus vita durante in dictis temporibus Veris & Autumni à dicto hærede recipiendum esse cum omnium præmissorum subministracione, eodem modo quo ipse vivens illum recipere consueverat; Cumque ejus morte sequuta, dicta Archiconfraternitatis officiales minus expedire credentes incumbere culture vinearum, ob quarum usum necessaria erat dicta domus, & sine qua vinea non de facilis vel longe minori pretio vendi potuissent, tam domum quam vineas de facto vendiderunt, injuncto emptori que re adimplendi in omnibus legatum prædictum juxta testatoris dispositionem.

Cui venditioni se opponente Cardinali, orta est lis coram A. C. coram quo ex parte Confraternitatis dicebatur, hujusmodi legatum non importare rogi legata dominum, sed tantum quendam servitum, seu ejus speciem, per quam Dominus fundi servientis non impeditur illum alienare, dummodo servitum non præjudicetur, quia nempe novus Dominus, in quem alienatio fiat eamdem præstare se offerat, allegando in his proximis terminis Castrensi, in l. 2. C. de usufructu & ceteros deductos per Castill. de usufructu. cap. 34. nu. 8. cum seqq. ubi confutatis contrarium tenentibus verius de jure probatur proprietarium non prohiberi vendere, vel hypothecare proprietatem, seu alias de ea disponere, dummodo saluum remaneat jus usufructuarii, cuius nihil interest proprietatem ab uno vel ab altero possideri, quoties ipsi jus suum accipiatur, neque ex mutatione personæ eius conditio sit deterior, quae terminos recte pro Confraternitate agentes applicari dicebant casui controverso, præsertim quia,

quia, cum Confraternitas sit corpus inanimatum, de necessitate in hoc hospitio faciendo representandum per aliquem ministrum, nihil hospitandi intererat dictum actum explicari a ministro, vel ab emptore, qui ministri vices recte implere dicitur.

Pro Cardinali autem scribens, etiam cum sen
4 sū veritatis, quatenus ad juris rigorem pertinet, dicebam nullatenus dicta venditioni locum fore, sed hospitium omnino praestari debere per ipsam Confraternitatem tanquam haredem ac representantem personam benevoli testatoris, atque ita post magnam discussionem judicatum fuit & judicium credidi juridicum.

Ad hoc autem probandum adducebam in pri-
mis auctoritatem Affl. dec. 34. in princ. ubi absolute
in his terminis punctualibus supponitur, ut pro-
missa alicui habitatione in domo sua, mortuo pro-
mittente non possit hæres domum vendere in præ-
judicium ejus, cui habitatio debita est, ideoque cum
adesser auctoritas individualis absque contradic-
tente, ista debebat attendi non curatis similibus
vel generalibus, ut dec. 343. num. 1. divers. 721. num.
1. par. 2. recent. & in alijs.

Verum quia genium semper abhorruit ambu-
lare cum solis auctoritatibus, non examinando
eorum rationes & fundamenta, idcirco materialam
per rationes ac terminos discurrendo; Dicebam
6 in propposito legatae habitationis, plures causas distin-
guendos esse, quorum primus est, ubi substantia
legati incipit ab ipsa domo, cuius habitatio accol-
tie seu consecutivè enunciatur, quia nempe dicatur
relinqui domum ad habitandum, & tunc non
cadit inspeccio legatae habitationis, quia non habi-
tatio, sed ipsa rei proprietas relicta intelligitur;
Aut legata substantia incipit ab habitatione, &
tunc etiam distinguendum est, an relinquatur ha-
bitatio domus, vel in domo. Primo enim casu ipsa
rei utilitas ad vitam legatarii sub nomine habita-
tionis relata censetur, itaut nedum per seipsum
privativum ad alios illam habitare valeat, sed alius
etiam locare, seu alias concedere possit ad text. in
l. cum antiquitate C. de usufr. & §. ante penult. Instit.
de usu & habit. Affl. dec. 401. num. 7. Castill. de
usufr. cap. 28. num. 23. & 24. & tunc speciem servi-
tutis personalis adinstar ususfructus importare di-
citur tanquam jus legatario competens, atque
in his terminis recte procedere dicebam deducta ex
parte Confraternitatis in terminis ususfructus su-
per libertate vendendi proprietatem, seu alias de
ea disponendi, dummodo ex hujusmodi disposi-
tione jus legatarii deterius non fiat, qui ejus iure
non impedito, nihil sua interest proprietatem ab
uno vel altero possideri.

Altero vero casu, in quo alicui relinquatur ha-
bitatio in domo, & tunc verius est legatum non
importare veram servitutem, neque jus, sed sim-
pliçem facultatem seu commoditatem habitandi,
prout nudifici est, itaut aliis locari, seu cedi non
possit, sed sic facultas merè personalis, neque jus
privativum ab hæredibus praetendit valeat, cum re-
licta censeatur facultas seu commoditas habitan-
di juxta qualitatem personæ, & prout ejus necessi-
tas, moralis tamen à convenientia & honestatis
ratione regulata exigit, in bene & magistraliter
probat Decius cons. 355. per rot. atque hic est casus,
de quo Affl. dec. 34, quia nempe sofer per con-
tractum, genero ejusque familie promiserat habi-
tationem in domo, & tunc recte intrat dubitatio,
an proprietarius hujusmodi domum alteri vendere
possit, seu alias personas, vel gratuitò, vel sub

titulo locationis ad habitandum introducere, & de
quo habetur disc. sequen.

In nullo vero ex his casibus versari observa-
bam, quia testator nec habitationem domus, nec
in domo reliquerat, sed hæredi injuxerat onus
hospitii, eo modo quo ipse vivens illud praestare
confluerat; Hoc autem videtur magis legatum
continens respectivè obsequi & honorificentia
continuationem, quod scilicet vivente Cardinali
voluerit testator ejus hæredem utope ipsum perso-
nam representantem praestare illud idem obse-
quium, ac devotionis, seu clientela indicium quod
ille praestabat; Et econversò recipere eam honori-
ficentiam quam Cardinalium vel Magnatum hos-
pitium hospitantibus causat, ut ita saitem pro tem-
pore quo dictus Cardinalis vixerit, ipsum testatoris
memoria viveret, ideoque dicebam esse merum jus
personale activè & passivi non adimplendum.
¶ per alium, cum implementi effectus potius con-
sistat in qualitate personæ dantis & respectivè re-
cipientis, quam in ipsam rei praestandæ vel reci-
piendæ substantia.

Unde quemadmodum Cardinalis hujusmodi
hospitiis facultatem seu commoditatem alteri loca-
re vel concedere sine dubio non poterat, ita econ-
versò dicere poterat nolle à tertio ignoto & for-
san parum grato hujusmodi hospitium recipere,
cum Magnates ad privatorum domus accedere
soliti, potius in gratiam personarum quam ipsarum
domum materialium id facere soleant, neque hæc
est commoditas bursalis, sed honorifica, ut quoti-
dè experimur in Regibus, Principibus, aliisque
Magnatibus eatus hospitium in aliqua domo re-
cipere solitis, quatenus illa per fidèles seti devotos
& benevolos possideatur; Secùs si eadem ad ter-
rium ignotum, vel minus gratum, seu alias dispa-
ris conditionis transeat.

Ad quod de jure etiam probandum adduce-
bam, quæ habemus de servituis, vel obsequiis per
vasallum, seu feudatarium Domino praestandis,
quia ubi non sunt merè pecuniaria in solo interesse
bursali consistentia, neque in contrarium obstat
conventio vel consuetudo praestanda sunt ab ipso
feudatario, qui per substitutum, excepto casu le-
gitimi impedimenti, ad ea praestanda non admittit
ur, ut ex Ifernia, Affl. Capito, & ceteris feudiis
plenè deducit Rosenthal de seud. cap. 8. conclus. 23. n.
1. & seq. quia vis obsequiū non consistit in ipsa re,
sed in qualitate personæ illud praestantis; Ut exem-
plificari potest in equo, qui in die Sancti Petri præ-
statutus per Regem Catholicum pro Regno Neapo-
litano mediante ejus Oratore cum tanta pompa,
& utriusque, dantis scilicet & recipientis honorific-
entia, quia vis non consistit in valore equi, neque
in simplici actu præstationis, sed in qualitate perso-
narum dantis, ac respectivè recipientis, & in modo.

Atque in propposito deducebantur decisiones
in Vrbinaten. prædij 3. Junij 1650, & 12. Junij 1654
coram Bichio, quarum prima est impressa post Paitel-
lum dec. 48. & dec. 42. par. 11. rec. in quibus deduc-
citur fideicommissum perpetuum & successivum
in quodam prædio nuncupato *la foglia* propter
inalienabilitatem, ex eo quod restator præcepereat sin-
gulis annis ibi hospitio recipi debere Ducem Urbini,
ejusque descendentes & successores, eo modo
quo ipse recipere consueverat, in transitu solito à
Civitate Urbini ad illam Pisauri, quia dicitur jus
honorificum, & respectivè obsequiale residens
in personis non in re.

Hinc non bene dicabant agentes pro Confraternitate, quod emptor ita gereret vices illius Ministri, quo mediante dictum onus implendum erat, quod alias adimpleri non poterat per ipsammet Confraternitatem, tanquam corpus fictum & inanimatum; Ubi enim id sit per Ministrum, iste dicitur representare ipsam Confraternitatem representantem personam defuncti; Hæc autem representatio non datur in quolibet extraneo possessor, qui plures mutari potest, & ad cuius domum alias Cardinalis non accederet, cùntunc non diceretur hospitio recipi ab herede representante benevolum testatore jure obsequii, sed à tertio ignoto vel parum grato. Et iuxta præmissa judicatum fuit pro Cardinali, qui post victoriæ ex motivo charitatis cuicunque ejus juri munificentissime cessit.

D I S C. LXVI.

DEcendens absque prole Franciscus Maria Cessius Dux Ceria, scripta herede Portia sorore, cum substitutionibus ad rem non facientibus, Maria Aldobrandina uxori habitacionem reliquit cum eadem herede, inter quas mortuo testatore, juxta mulierum consuetudinem plures exortæ fuerunt controversæ, præfertim circa dictum legatum habitationis; Primo, an illud dicta legataria præcisè deberetur in ipso palatio Ducum Ceria, in quo testator habitare conveuerat & obierat, & in ipso met nobiliori appartamento, in quo eadem Ducissa vivente viro habitabat; Secundo, an dicta Ducissa Portia heres, invita præfata Ducissa legataria introducere posset ad habitandum in eodem palatio Comitisam Borromeam alteram sororem sibi substitutam; Et tertio an dicta Ducissa legataria appartamentum cum aliis mansionibus & officiis pro familia sibi assignandum alii locare seu gratuitò cedere posset, super quibus omnibus dicta legataria consilium à me & aliis petit, tam in scriptis, quam in congressu habito pro directione causa; Sed quamvis super omnibus discursus fuerit, nihilominus ob ejusdem Ducissæ discessum ab Urbe absque probabili spe celeris regresus, inanis remainet discursus super primo & secundo puncto, solusque commissa causa in Rotam Ceram, actum fuit de tertio, quem decidi expediebat, dum alias stante absentia, legatum nullius remanebat utilitatis; Et assumpta disputacione sub die 17. Martii 1661, prodit resolutio legataria absenti præjudicialis circa facultatem locandi vel aliis concendi, ad ejusdem verò præsentis favorem, confirmingo manutentionem à judice primæ instantiæ sibi concessam, rejecta exceptione heredis, quod palatum non esset hereditarium, sed spectaret ad fidicominissimum sibi debitum ex persona propria, ex regula, quod heres tenetur haberetur factum defuncti etiam in bonis & iuribus propriis, licet in hac disputatione Rotali ego non scripserim, ut potè medio tempore per dictam heredem evocatus ad defensionem plurimum graviorum causarum, præserim in Romana Contributionis, de qua subiit de feudi ad materiam Bullæ Baronum, & propter ea abstinui, sed ex discursu præcedenter edito pro veritate penè totum despustum fuit.

In dicto igitur discursu, quatenus pertinet ad hanc tertium punctum in Rota postmodum disputatum, resolutio fuit iuxta votum, undè in congregatu meo sententia fuit illum assumentum non esse, ut potè parum probabilem; Licet enim legatario habitacionis concedatur facultas domum, cuius habitatio sibi relata est, locandi vel alteri concedendi juxta texum clarum in l. cum antiquitas Cod. de usufructu, cuius dispositio de plano intraret in praesenti casu, quando revera ageretur de legato habitacionis domus, cùm esset per ultimam voluntatem, quoniam quæstio est, ubi conceditur vel reservatur per actum inter vivos ex deducatis in magistrali decisione 401. Affili, ubi verius firmatur idem quoque isto casu procedere.

Nihilominus cessabat applicatio ad factum, cùm revera legatum non contineret habitacionem tanquam jus vel servitutem in re, sed solum facultatem habitandi cum herede, & sic quandam speciem continuationis ejusdem vitæ, quam legataria deducebat, vivente ipso testatore, cuius personam heres fidei representat, eo quia uxor quam-

vis

ROMANA
LEGATI HABITATIONIS

PRO

DUCISSA MARIA ALDO-
BRANDINA,

CVN

DUCISSA PORTIA CESTA.

Causa decisus per Rotam, ut infra.

Relicta alicui habitatione cum herede, an legatarius possit suum jus alteri cedere, ac domum vel partem pro ejus habitatione assignatam locare; Et an è converso heres possit domum solita habitationis testatoris in præjudicium legatarii locare, seu alios ad habitandum introducere; Et de qua domo hujusmodi legatum intelligendum sit; ac aliis ad materiam, &c.

S V M M A R I V M .

1. **F**acta series.
2. **R**esolutio causa.
3. **L**egatarius habitationis possit domum locare, vel alius concedere.
4. **S**ecus si sit legata sola facultas habitandi.
5. **Q**uando haec sola facultas relata dicatur.
6. **L**egatum habitationis censemur in domo solita habitationis per testatorem.
7. **S**i est legatum factum uxori, censemur eo modo, quo ipsa, vivente viro testatore habitabat.
8. **E**x qualitate persona judicandum est, quomodo habitatio prestanta sit.
9. **A**n heres invito legatario introducere possit alios ad habitandum in eadem domo.
10. **L**egatum alimentorum an contra judicium testatoris peti possit extra domum heredum.
11. **Q**uomodo fratribus secundogeniti habitatio à primogenito prestanta sit.